

## STATUTUM I.

**De lectione Statutorum ante electionem Praepositi.**

Quemadmodum leges ab omnibus seiri. (l. 9. C. de Legib.) ita ab omnibus debent observari. (l. 3. C. eod.) Ideo ut fiat utrumque statuimus et districte observari praecipimus, quatenus leges et statuta sequentia, ne quis ab eorum observatione ignorantia excusetur, qualibet dic electioni Praepositi Domus inferius destinata, ante ipsam electionem per ultimum Collegii Professorem legantur, ut ex eorum praescripto quilibet sese informet, quomodo et qualiter in hac inclita Domo se gerere et negotiis ejus prospicere debeat. Leges enim et Statuta dant formam futuris negotiis. (c. 2. et fin. de Constit. et l. 7. C. de Legib.) tuncque instituantur ac ligare incipiunt, cum promulgantur, firmantur, cum moribus intentium approbantur. (can. In istis. §. Leges. dist. 4.)

## STATUTUM II.

**De electione Praepositi Domus.**

Ut in Apibus unus princeps est, Grues ordine literario sequuntur unam. (can. in Apibus. 7. 9. 1.) ita in omni bene ordinata communitate, unus, qui ejus curam habeat, debet esse. Proinde statuimus, ut praemissa Sancti Spiritus invocatione, qualibet Commutatione, Aestiva quidem die 19. Aprilis, Hyemali vero 19. Octobris aut his vel harum aliqua feriali die, aut aliquo alio legitimo praedimento impeditis vel impedita, aliis vel alia proximiori die non impedita, Praepositus Domus, extradita ad hoc per anteriorem Praepositum officium Praepositurae terminantem Convocatione, per CC. DD. Collegas actu Collegium inhabitantes et ad Communem Collegii Stubam, ad tertium pulsum Campanae in habitu decenti congregatos, idque ex turno, noviter vocato et ad Collegium admisso Professore excepto (qui praeter turnum, ratione ingressus sui ad Collegium, semel praepositare, electionemque sub poena Quinque Marcarum irremissibiliter solvere et pro arbitrio Communitatis convertere, sive ex turno sive ratione ingressus de se factam acceptare debet) ascendendo vel descen-